

maticam Iurisprudentiam Lusatiae commonstrarit. Nam, hoc  
duce, licet iam de *Sexcentis* amplius ex annorum serie colloca-  
tis et nostrae et vicinae Lusatiae *diplomatibus* accuratius cog-  
noscere, veriusque iudicare.

§. V.

In infinita autem tabularum Saxonicarum abundantia, quo  
quasi mari, veluti paruam quandam insulam Lusaticas circum-  
fusas cernis, mihi quidem placuit, eoque sum usus adolescens,  
ut relata quaeque SCHÖTTGENIO patriae monumenta peculiari  
libello mandarem. Quibus selectis hoc assequabar, vt nec di-  
utius in iis conquirendis fluctuarem tempusque perderem, nec,  
quod SCHÖTTGENIO, de omni Saxonia cogitanti, satis visum  
fuerat, mihi non item, prouinciam exiguum valde arcteque  
circumscripam perspicere cupienti, his cogerer esse contentus,  
quae in publicum aut doctorum hominum diligentia, aut pro-  
uincialis iuris usus proponenda curauerat; sed vt liberius etiam  
alia adderem praetermisfa, alia delerem falso commemorata,  
alia denique, impune corrigerem, cum in meo regno esse, me-  
aque ipse reprehendere existimarer. Sic ferenda nominis  
haud erat commutatio, qua MARTINI MYLI *Annales Gorlicenses*,  
semper SCHÖTTGENIO <sup>c)</sup>, MEISTERI appellantur. Etsi enim, HOFF-  
MANNO auctore <sup>d)</sup> primam MYLI Annalibus, ab eodem editis <sup>e)</sup>,  
manum admouisse dicatur IOACH. MEISTERVS; perfecit tamen et  
absoluit MYLIVS opus, indeque natum opinor errorcm, quod  
apud HOFFMANNVM scribae negligentia, summae paginae, MAR-  
TINI MEISTERI nomen preferant, aperto depravationis indicio,  
cum non a MARTINO, sed a IOACHIMO nominatus sit MEISTERVS.  
Haberem hic omnino, quod contradicerem, si aut MYLI, aut  
MEISTERI in laudatis Annalibus magnopere celebraretur diligen-  
tia et assiduitas. Haec enim mea est de illo libello sententia,  
paul.

c) Inuentar. Diplom. p. 434. p. 482. Scriptor. p. 22. e) Iaud. Scriptor. T. I.  
p. 589. p. 609. p. 616. d) in Scriptor. P. II. p. 2-94. f) L. VI. in primis et  
Rer. Lusaticar. Introduc. in Collect. L. VII. Commentar. g) in Arbeiten  
einer